

*Ut silvæ foliis prinos mutantur in annos,
Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modò nata, vigentque.
Debemur morti nos nostraque.*

Et paulò pòst,

— *Mortalia facta peribunt;
Nedum sermonum stet honos, & gratia vivax.
Multæ renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.*

Qui utitur sermone tam priscô, ut non nobiscum, sed cum nostrô atavô aut tritavô, vel adeò novô, ut cum posteris nostris loqui videatur, quid aliud agit, quàm ut à coætaneis non intelligatur. Illud etiam agnovit Quintilianus Instit. Orator. lib. 8. cap. 2. his verbis. *Obscuritas fit etiam verbis ab usu remotis: ut si commentarios quis Pontificum, & vetustissima fædera, & exoletos scrutatus autores, id ipsum petat ex eis, ut quæ inde contraxerit, non intelligentur.* Hoc verò Vossius. Instit. Orator. lib. 4. c. 1. sect. 8. Novata perspicuitati repugnant. *Vix enim fieri potest, ut nota sint omnibus, quæ à dicente primùm gignuntur.* Ejusdem ferè monetæ sunt voces novæ. Hujusmodi Augusti temporibus obsoletæ voces & phrases apud Latinos fuere, *mis pro mei; sam pro eam; nenum, nenu, vel neno pro non; topper pro citò; perbitare pro peri- re; bovinari pro tergiversari; dapatilia comisse pro comedisse opipara; apludam edere & floccos bibere pro furfure vesici & fæcem biberè,* de quô disputat Agelius lib. 11. cap. 7. Novæ autem favor, urbanus, reatus, munerarius, piratica, & alia, de quibus vide Quintilian. lib. 8. Instit. cap. 3. *irritare, pro irritum reddere,* Leg. 2. Codic. de Feriis. *Quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur; & absentare pro absentem facere.* Claud. 3. de raptu Proserp.

— *Patriis simul absentaverit astris.*

12. *Bárbara vox & phrasis est, quæ, ex peregrinâ linguâ petita, in vernaculam introducitur, & præter consuetudinem probatorum Scriptorum usurpatur.* Harum autem duplex est genus; aliæ enim nec usu, nec ortu sunt vernaculæ; aliæ verò ortu quidem, non tamen usu sunt tales. Quæ usu non ortu vernaculæ sunt, pro varietate linguarum, unde oriuntur, variæ sunt, quamobrem Barbaries est vel Hebraismus, vel Græcismus, vel Latinismus, &c. Exempla vocum barbararum ac peregrinarum, omnis generis atque undique petitarum, in Latinâ linguâ videri possunt apud Vossium Lib. de Vit. Sermon. & Glossem. Latino-barbar. In novô Testamento occurruunt præter alias Latinismi & præcipue Hebraismi. Latinismi sunt, *Α'σσαρίον, κῆνετος, καντύρεος, πλευρία, δημάρπεον, λεγέδον, λέκτον, τίτλος, & δός εργασίαν, i. e. da operam,* Luc. 12.